



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TANJUNGSELORENSIS\*** IN INDONESIA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS TANJUNGSELORENSIS Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Indonesia visum est  
ibidem novam constituere dioecesim. Quapropter Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa  
auditisque pariter eorum quorum interest votis, admotam postulationem censuit esse accipiemad. Nos igitur, Qui  
gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica  
potestate haec decernimus. A Samarindaensi dioecesi separamus partem orientalis territorii ex eaque novam condimus  
dioecesim *Tanjungselorensem*, quam metropolitanae Sedi Pontianakensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni  
Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus cuiusque limites iidem erunt ac fines districtuum civilium qui  
patrio sermone Bulungan et Berau nuncupantur. Praeterea iubemus Episcopi cathedralm poni in urbis "Tanjung Selor"  
templo Sanctae Mariae Assumptae dicato, quod ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum  
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Laurentius Fratini,  
Archiepiscopus titulo Botrianensis atque in Indonesia Apostolicus Nuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda  
sincerisque exemplis memoratae Congregationi mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum  
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo  
secundo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostrri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 5, p. 316 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana